



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De  
Contractibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDCCXXXIII.**

**VD18 90392159**

Q. 1. An per Præscriptionem verè acquiritur in foro conscientiæ dominium  
rei alienæ, absque consensu & culpa prioris Domini?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40993**

am tempore per legem definito. Nomine dominii, jura, servitutes, officia & beneficia etiam comprehenduntur.

**Q. I.** *An per Præscriptionem verè acquiritur in foro conscientie dominium rei alienæ absque consensu, & culpa prioris Domini?*

**Resp.** Aff. *Est communis.* Quia Resp. vel Princeps vi dominii alti in bona subditorum, habet potestatem disponendi de bonis privatorum ad bonum commune, ideoque transferendi rerum dominia, & jura absque consensu, & culpâ prioris Domini, quando id postulat bonum commune. At Principes hac potestate usi sunt, & re ipsa voluerunt rerum dominia sola præscriptione sic transferri, id postulante bono publico, ne scilicet dominia essent incerta, lites multiplicarentur, ut patet ex multis legibus civilibus approbatis Jure Canonico, quæ sine ulla limitatione, & distinctione dicunt: *Bono publico usucaptionem introductam esse, ne scilicet quarundam rerum diu, & ferè semper incerta dominia essent.* L. I. ff. de usu-cap. *Ut aliquis litium finis esset,* L. ult. ff. pro suo; & usucaptionem definiunt, *Adiunctionem dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti.* L. 3. ff. de usucap. Item Jus Canonictum, quod præcipue bonum animæ spectat, approbat indistinctè præscriptiones bonæ fidei, ut patet ex toto titulo de *Præscript.* Itaque præscriptio introducta est principaliter non

non ad puniendam negligentiam prioris Domini, sed ob predictos fines ad bonum commune spectantes, & quietem civium, ac familiarum, & ad excitandam diligentiam, & curam possessorum circa bona sua, cap. 5. de Praescript. Hinc licet retinere rem legitimè praescriptam, etiamsi postea cognoscatur fuisse alterius, nisi tamen prior Dominus perjudicem restitutatur in integrum: quæ restitutio conceditur Minoribus, qui habent jus eam petendi toto quadriennio à die, quo Majores facti sunt. Idem Jus Ecclesiaz, & aliis piis locis conceditur per quadriennium à die, quo Ecclesia novit praescriptionem bonorum suorum, ex cap. 1. de restit. in integrum in §. & interdum conceditur etiam Majoribus ob justas causas. Post Sententiam autem judicis est obligatio in conscientia res praescriptas restituendi, quia justa est, nec nititur falsa presumptione, sed legibus ita disponentibus.

*Q. 2. Quænam conditiones requiruntur ad legitimam prescriptionem?*

*Resp.* Quatuor, videlicet possessio, bona fides, titulus, & continuatio possessionis cum bona fide per tempus lege definitum.

1. Requiritur possessio, ex Reg. 3. Jur. in 6. Sine possessione praescriptio non procedit; & ex l. 25. ff. de usucap. Sufficit autem possessio civilis. Hinc usufructuarius, conductor, feudatarius, &c, non possunt rei proprietatem

præ-